

Milicia A

Militare non est delictum sed propter predam militare peccatum est. Nec rem publicam gerere criminis est, sed ideo agere rem publicam ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile, propterea enim providencia quadam militantibus sunt stipendia constituta, nedum sumptus queritur predo crassetur.

Augustinus de verbis Domini.

Milicia B

De cubiculo ad aciem, de umbra egrediens ad solem, corpus assuetum tunica lorice onus non sustinet, caput opertum lintheo galeam recusat, mollem ocio manum durus exasperat capulus, fortior autem miles ex confragoso venit.

Hieronymus in epistola ad Theodorum monachum.

Milicia C

Iuventus enim cui defensio provinciarum, cui bellorum est commitenda fortuna, et genere si copia suppetat et moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit, verecundia dum prohibet fugere facit esse victorem.

Vegetius de re militari.

Milicia D

Fabros, ferrarios, carpentarios, marcellarios et cervorum aprorumque venatores convenit sociare milicie.

Ibidem.

Milicia E

Nichil enim magis in itinere vel in acie custodiendum est quam ut omnes milites incedendi ordinem servent, quod aliter non potest fieri, nisi ut exercicio deambulare celeriter et equaliter discant, periculum enim ab hostibus semper gravissimum sustinet divisus et inordinatus exercitus.

Ibidem.

Milicia F

Nichil enim neque firmus, neque felicius, neque laudabilius est re publica in qua abundant milites eruditi.

Ibidem.

Milicia G

Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulacione situ ac rubigine arma fedantur.

Vegetius libro 2.

Milicia H

Ab his qui tyrones probant, in omnibus quidem stature magnitudinem corporis robur alacritatem animi convenit explorari.

Ibidem.

Milicia I

Numquam enim ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit, sed incitantur paucis qui viciorum celumque impunitate sperant peccare cum plurimis, quod si ferri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est more maiorum in auctores criminum vindicari, ut ad omnes metus ad paucos pena perveniat, laudabiliores tamen duces sunt quorum exercitum ad modestiam labor et usus instituit quam illi quorum milites ad obedienciam suppliciorum formido compellit.

Ibidem.

Milicia K

Plerique rei militaris ignari plenioram victoriam credunt, si adversarios aut locorum angustiis aut armatorum multitudine circumdederint, ut aditum non invenient recedendi, sed econtra clausis ex desperatione crescit audacia et cum spei nichil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori qui sine dubio scit se esse moriturum, ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit viam hostibus qua fugerent inveniendam. Nam abscedendi aditu patefacto mentes omnium ad prebenda terga consenserint multi more pecudum trucidantur, nec insequencium ullum periculum est, convicti quibus defendi poterant, arma converterunt hoc genere quanto maior fuerit tanto facilius multitudo prosternitur.

Vegetius ibidem.

Milicia L

Neque enim ibi requirendus est numerus, ubi animus semel territus non tam tela hostium cupit declinare quam vultum, ceterum clausi licet exigui numero et infirmi viribus hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliquid sibi licere non posse. Necessitas enim quedam virtutis est desperatio sed una salus victis nullam sperare salutem.

Ibidem.

Milicia M

Aut inopia aut supervenientibus aut terrore melius hostem domare quam prelio in quo amplius solet fortuna potestatis habere quam virtus, licet enim ars plurimum prosit, tamen ad offensionem suam potest accusare fortunam.

Ibidem.

Milicia N

Nulla consilia meliora sunt sicut illa que ignoravit adversarius antequam facias. Cum igitur consilium tuum cognoveris adversariis proditum, dispositionem mutare te convenit quid fieri debeat tractato cum multis. Quid vero facturus sis cum paucissimis ac fidelissimis vel potius ipse tecum.

Ibidem.

Milicia O

Milites timor et pena in pedibus corrigit in expeditione, spes ac premia faciunt meliores. Boni duces publico certamine numquam nisi ex occasione aut nimia necessitate confligunt. Magna dispositio est hostem fame magis urgere quam ferro.

Ibidem.

Milicia P

Nichil detestabilius est nota prodicionis in milite, licet enim Ioab fortiter omnia vicerit non computatur tamen in cathalogo fortium David, quia fortitudinem eius prodicio in Abner et Amasam denigravit. Sola fidelitas est que dilatat gloriam populi, que pacem firmat et terrorem incutit inimicis.

Petrus Blesensis in quadam epistola.

Milicia Q

Nichil damnabilius est in milite quam ocium per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, et ad immundicie actus animus occupatur.

Ibidem.

Milicia R

Vegetii Renati testimonio, inutilis est omnino milicie nutritus tenere, et deliciis assuetus, eum autem censet plus aptiorem qui sub divo et sole nutritur laboris paciens umbre negligens, balneorum nescius, eque ferens frigoris iniurias et caloris, rudis in causis, simplex in actibus, cibo moderacione contentus, qui non erubescat fossam ducere, rapere aggeres, ferre lapides et cementum, lignorumque materiam comportare.

Ibidem.

Milicia S

Quod si milites nostros ire in expeditionem quandoque oporteat, somari non ferro sed vino, non lanceis sed caseis, non ensibus sed utribus, non hastis sed veribus onerantur; credas eos ire ad domum convivii, non ad bellum.

Ibidem.

Milicia T

Clypeos deferunt optime deauratos, predam potius hostium quam tutamen ab hostibus, bella tamen et conflictus equestres depingi faciunt in fellis et clypeis, ut se quadam imaginaria visione delectent in pugnis et quas actualiter ingredi aut videre non audent.

Ibidem.

Milicia U

In his frontinus refert cum scutum cuiusdam vidisset auro et gemmis multipliciter adornatum; dixit se non mirari si tanta diligencia honorasset in quo plus presidii quam in ense haberet.

Ibidem.

Milicia X

Refert perides, non picturam, non aurum et lapides, sed scutum, divulsum, fractam, galeam, ebetem, gladium, faciem, vulneratam cedere militibus ad ornatum.

Idem in epistola.

Milicia Y

Cum nostri milites ab expeditione sine vulnere et cicatrice sanis et integris armis per Dei gratiam revertuntur, curritur ad videndum conflictum cratheras sibi statuunt et vina coronant, atque exhausta canunt prelia marte gravi illic Eacides illic tendebat Ulyxes et pingunt fluido pergama tota mero.

Ibidem.

Milicia Z

Hi sunt quorum testimonio laudari audis in ocio occupationes, in pace predas, inter arma fugas, inter vina victorias, cum sint in pretoriis leones, in preliis lepores.

Ibidem.

Milicia AB

Porro ordo militum nunc est ordinem non tenere, nam cuius os maiore verborum spurcicia polluitur, qui detestabilius iurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui ecclesiam non veretur; iste hodie in cetu militum fortior et nominatior reputatur.

Ibidem.

Milicia AC

Hodie militaris disciplina quam Vegetius Renatus et plerique alii docuerunt prorsus evanuit. Olim enim se iuramenti vinculo milites obligabant quod starent pro rei publice statu, quod in acie non fugarent, et quod vite proprie utilitatem publicam prehaberent, sed et hodie enses suos recipiunt de altari ut profiteantur se filios ecclesie atque ad honorem sacerdotii ad tuicionem pauperum ad vindictam malefactorum et patrie liberacionem se gladium accepisse, porro in contrarium repressa est, nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini et deseuiunt in patrimonium crucifixi, spoliant et predantur subiectos sibi pauperes et miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus et extraordinarias impleant voluptates.

Idem in epistola quadam sua.

Milicia AD

Qui contra inimicos crucis vires suas exercere debuerant, in potibus et ebrietatibus pugnant. Vacant ocio marcent crapula, vitamque degenerem in immundiciis transigentes nomen et officium milicie dehonestant.

Ibidem.

Milicia AE

Facile onus afflictionis senciunt qui uti suavibus consueverunt deliciis, Gedeon enim Domino mandante prohibitus est in multitudine delicata atque inexercitata madianitis.

Ibidem.

Milicia AF

Nullum laborem recusant manus que ab aratro ad arma transferuntur, quamlibet enim viam paciuntur iumenta quorum durata in aspero ungula est, in molli et palustri pascuo saginata cito subteruntur, fortior autem miles ex confragoso venit, sed ille unctus et nitidus in primo pulvere deficit.

Seneca in quadam epistola.

Milicia AG

Dulcis in consilio posita est virtus militum.

[Auctor non nominatus]

Milicia AH

Non fuit Romanis tubor eburneo Scipione deposito agrestem aratri stivam repetere, sed Actilii manus rustico opere attrite salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessunderunt, et que prius arancium bonum iuga rexerant, postea triumphalis currus habenas retinuerunt; potest pauperes consolari Actilius, sed multo magis docere locupletes, quod non est necessaria magne laudis cupido, aut anxia opum comparacio. Virtus enim nudo homine contenta est.

Valerius libro 4.